Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae & politicae

Goclenius, Rudolph

Marpurgi Cattorum, 1601

LXVII. Heroica virtutes in Ethnicis ad cuius generis actionem dei pertineant

urn:nbn:de:bsz:31-109121

Visual Library

citum: Davidis, præliantis adverſus Goliathum: Heliæ, interficientes ſacerdotes Baal. Ac ſolet dici Zelus.

LXVII.

Heroicæ virtutes in Ethnicis ad cujus generis actionem Dei pertineant.

ARISTOTELES, docens virtutem eſſe μεσότητα, id eſt, medietatem, ſeu mediocritatem, intelligit hanc reſpectu extremorum vitioſorum, non reſpectu graduum. Propter graduum enim differentiam virtutes ſunt communes ſeu humanæ, vel heroicæ ſeu divinæ. Has, heroicas dico, verè Chriſtianorum ſeu renatorum & ſanctorum in eccleſia non eſt dubium eſſe flammas accenſas in cordibus à ſpiritu Dei ſanctificante, itaq; pertinere ad præſentiam & actionem Sanctificationis & Gratiæ, & eſſe donum per gratiam. Virtutes verò heroicæ eorum qui ſunt extra Eccleſiam, ſunt quidem etiam ſpecialis operationis ſpiritus Dei, ſed non ſanctificantis. Talis fuit Julii Cæſaris fortitudo, quãdo cùm aliàs, tùm contra Nervios in Gallia pugnans reſtituit inclinatam aciem. Talis fuit Socratis conſtantia. Talis fuit Divi Laurentii celſitudo animi, qui aſſationem & uſtulationem durabilem ita patienter pertulit, ut non modò vocem fracti dolore animi teſtem, aut geſtũ de-

Et Ethicorũ & Chriſtianorum heroicæ virtutes ſunt opus divinæ providẽtiæ.

formem

formem non ediderit : verùm etiam in ipſo ſupplicio acerbiſſimo tranquillo animo, quaſi jocans tyrannum deriſerit, inquiens, unum latus jam ſatis aſſatum eſt : appone igitur de illo quod vis, & comede, & reliquum latus inverſum itê aſſa. Notetur igitur ſequens diſtinctio.

Modi actionis Dei duo ſunt:
- Communis
  - *Univerſalis ſeu generaliſſima operatio qua ſuſtentat omnes creaturas, ut ſint incolumes, & conſervat modum agendi rebus attributum.*
  - Specialior actio quæ conſpicitur in
    - *Cauſarum ſecundarum moderatione, qua eas obſequentes ſibi facit : ut cùm efficit tonitrua, grandinem, ſerenitatem, bellum, pacem, exilium.*
    - *In operibus extraordinariis, quæ miracula dicuntur.*
    - *In communicatione donorum naturalium & φυσικῶν ἀρετῶν : unde eximiæ virtutes exſiſtunt, cuiuſmodi ſunt acumen ingenii in Archimede : fortitudo in Alexandro M. Caſtitas in illa muliere, quæ 20. annos pudicè vixit cum marito ſuo non apto ad rem uxoriam, ſine querelis, ſine rixis, nemini hoc indicans, in magno erga virum amore & obſervantia.*
- *Peculiaris ſeu ſingularis actio : qua juſtificat, vivificat, ſanctificat, glorificat electos.*